

iudicem querimoniā meā, et ex tua promissione
e verum coelestium instrue, os ergo iens mibi,
contradicere, aut refūtere nequātur
in confessum tuum supplicare possim, sublata voce clamorem ad te edo. Quare tueri me,
dires tuus perueniat. libera
m recipisti, ab omni periculo, q
ibis, fālum serua, & in columnam

III. III.

Inuestabunt labia mea
Inquieris me iustificationem, cu
Inonunciat lingua mea
Primum : quia dimī
ritas.

Quo ardore animi, que est fides, à circumstantia
ris. Antelucanis horis euigilans, ortum solis quiritat
præuerto, omnem spem meam, præsidiumq; in tuo ver
nens. Non dum cū vaga corlo sidera fulgens aurora sic
etulum relinquo, vt mediter verbum tuum : deq; tuis me
ad curē meū commissos sermones habeam.

V.

Vocem meam audi secundum
sericordiam tuam Domine : & secundum
dum indicium tuum viuifica me

Cuius fiducia orandum, non videlicet ullius vi
meriti, quod ab opibus nostris naturæ proficiat potest.
tum misericordie, & clem
ta peccata, inquit Ambro
sius. Et hoc
implorantis tuam m̄. Nobis
tam m̄bi hanc plam inibi
exponere hominibus

VI. VII.

iat manus tua vt saluet me: quo
remain
ladata tua elegi.

Incubui salutare tuum Domi

Maduī mōphalālū
Gāt dōgūndālū

xi
DISPUTATIO VI.

De
M E S S I A,

Probans contra Iudæos, ex proprijs ipsorum scriptis, Messiam dudum venisse.

*In celeberrimâ Academiâ VVittebergense
proposita,*

P R A E S I D E
Clarissimo & Excellentissimo Viro
Dn. IACOBO MARTINI

Professore publico:

R E S P O N D E N T E
CHRISTOPHORO SCHOLTZ
V R A T I S L A V I E N S I ,

Addiem 4. Novembris, Horis locoq; consuetis.



V V I T T E B E R G Æ ,

Ex Officina Typographicâ Johannis Gormanni,

A N N O M. D C . X V .

VIRIS ADMODUM REVE-
RENDIS;

Pictate, Morum gravitate, omniq; Virtutum &
Doctrinarum genere,

Clarissimis & Excellentissimis:

Incorruptam Evangelij Vocem, in Ecclesia

Vratislaviensi ad Div. Elisabetham,

prosperitibus.

D N N.

ZACHARIÆ HERMANNO,

S. S. Th. Doctori, Pastori & reliquarum
Inspectori meritissimo.

DAVIDI RHENISCH, Ecclesiastæ & Gy-
mnasij contigui Professori eminentissi-
mo, Adfini.

M. ELIÆ BONVINIO, Seniori & Archi-
diacono dignissimo.

JEREMIÆ MOLERO, Diaconis fidelis-

M. LUCÆ WALTERO, simis & vigilan-

M. MELCHIORI OSTIO, tissimis.

Patronis & Promotoribus suis
æternum suspiciendis

Exercitium hoc Theologicum

Honoris & observantiae ergo

Offert & Consecrat

Christophorus Scholtz

Vratisl.

CONTINUATIO.

Ac tenuis ergò ex fundamentis sacrae Scripturæ sufficienter contra Iudaos probatum esse confido, MES-SIAM venisse: Consequens nunc est, ut idem tentemus ex propriis eorum scriptis & libris, quos ita comparatos esse videmus, ut seipsoſ Iudei facile confodiant, & confutent. Ut autem ordine procedamus. Primum nātōneuastikā sententiam nostram probabimus. Deinde avātōneuastikā subjiciemus objectionum Judaicæ vanitatis ac blasphemias refutationes.

THESES. I.

PRIMI ergò argumenti nostri fundamentum desumitur à traditione discipulorum sive Collegij Eliæ, quæ exstat in libro Sanhedrin, in capite Helec, & describitur hisce verbis:

הנה רבי אליהו שהיה אלף שני חי עליות וזה חريب ב אלףתו ב אלף רוחה ב אלף ימות המשיח
id est, *Sententia domus Eliæ: Sex millia annorum permanet mundus, duo millia in anis, duo millia legis, duo millia dierum Messiae.*

I. Ex quibus verbis Galatinus lib. 4. cap. 20. & VVeidnerus tract. 3. mihi pag. 412. duo colligunt. 1. Quod lex Mosaica non nisi ad dies usq; Messiae erat duratura. 2. Quod advetus Messiae dudu præterijt.

A 2

III. Quæ

III. Quæ duæ conclusiones facile ex traditione istâ inferantur, si verus illius sensus fuerit conspicuus, qui hic est: Annorum duo millia, qui vanitatis, sive vacui, sive peccati, anni nuncupantur, derivantur ab Adam, primo totius generis humani parente, usque ad diluvium Noe vel usque ad Abrahamum, qui primus gentes direxit ac disposuit ad unius DEI cultum & religionem, propter quod ei lex circumcisionis data fuit, cum ante idololatriæ dedit essent homines penè omnes. Duo deinde millia annorum sunt legis, qui fluxerunt à circumcisione Abraham usque ad Messiam Regem. Tandem reliqua duo annorum millia dicuntur Messia.

IV. Hanc autem allegata traditionis veram esse sententiam apparet ex Glossa R. Salomonis, quam allegat Galatinus l. d. his verbis: Sex millia annorum erit mundus, id est, tantum durabit. Horum vero duo millia fuerunt in vanitatis. Quomodo autem ab Adam usq; ad quinquagesimum secundum annum Abraham duo millia annorum fuerint, scriptura instruit. Postquam enim hæc duo millia annorum completa sunt, studuit Abraham in lege, sicut scriptum est Genes. 12. cap. Et animam, quam fecerunt in Aram: quod increpati sunt, & animam, quam fecerunt cum lege in Aram. Dixerunt autem Magistri in libro Havoda Zara, quod tunc temporis Abraham fuerit annorum duorum & quinquaginta. Duo millia vero legis usq; ad adventum Messiae hoc modo habentur: Quadragesima & octo anni fuerunt usq; quo natus est Isaac. Sexaginta vero anni à nativitate Isaac usq; ad nativitatem Iacob: qui centum & octo annos efficiunt. Deinde centum & triginti anni, qui furerunt Iacob, quando ingressus est Ægyptum: Ecce anni ducenti triginta octo. Et ducenti decem, quibus morati sunt filii Israël in Ægypto. Ecce anni 448. Porro ab egressu ex Ægypto, donec adificata est domus sancta prima, fluxerunt anni 480. scilicet scriptum est in libro ultimo Regum sexto cap. Fuit autem in anno quadragesimo octogesimo: & reliqua: & adificata est domus Domini: Ecce igitur nongenti & viginti octo anni, quibus domus prima duravit, ut probatur per Scripturas annorum Regum, & septuaginta annis captivitatis Babylonie: & quadragesimi viginti, quibus domus secunda permanit: Ecce habes ex una parte annos nongentos, & ex altera parte nongentos viginti octo. Et sic habentur duo millia annorum, minus centum septuaginta duo. Per centum

340

centum septuaginta duo igitur annos ante consumationem quatuor milium
annorum ab initio mundi, destruta est domus DEI. Et in fine predictorum
172. annorum completa fuerunt duo millia annorum Legis. Non tamen
tunc evanunda erat lex, ut dicebat Magister meus. Sequitur, Et duo millia
annorum dies Messiae. Nam post duo millia legis, erit indicium ejus, ut
veniet Messias, & evanescatur regnum nequam, id est, Regnum Romanorum.
Hactenus glossa Rabbi Salomonis.

V. Enarravit quidem & secundum Talmudistas, ut porro ad-
notat & demonstrat Galatinus in anno suppuratione hic Salo-
mon: nihilominus ex dictis ejus facile concluditur & intelligitur,
Messiam iam dudum venisse: Et juxta computum Judaicum tem-
pus Adventus Messiae ante annos mille trecentos septuaginta u-
num præteriisse.

VI. Nam 1. juxta traditionem Eliæ & discipulorum ejus, ut au-
divimus, in fine quatuor millium annorum Mundi Messias era-
venturus. 2. juxta computum Judaicum à mundi initio, usque ad
annum præsentem, sive currentem, qui est annus Christi mille
sexcentesimus decimus quintus, trāsierunt anni (juxta sub-
putationem verò nostram longè plures) quinques mille, trecenti
septuaginta novem. Unde necessariò insertur, quod diximus:
Tempus Messiae juxta Judæorum calculum ante mille trecentos
septuaginta unum, aut longè plures annos præteriisse.

VII. Quidam ex Judæis hunc annorum numerum, quibus mun-
dus hic durare debet, ex Mosis Psalmo 89. cœ justitulus est: Ora-
tio Moysis, hominis DEI, probare sat agunt, quando inibi dici-
tur: Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hester-
na, quæ præteriit. Quemadmodum etiam illa verba repetita vi-
dentur per Apostolum Petrum in 2. Epist. 3. cap. Quod sit unus
dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut unus dies.

VIII. Verum inter Christianos Hieronymus in Epistola ad Cy-
prianum, inquit, cum objicit: Multi arguunt: Si Mundus in sex die-
bus fabricatus fuit, ut Geneseos cap 1 unus autem dies apud DEVM habeatur
pro mille annis, ut legitur Psal. 89. & 2. Petri 3. Mundum sex millia anno-
rum subsistere debere, & non amplius: & sic certum esse dicim judicij: Quod
absurdum videtur.

IX. Sed responderet Weidnerus: Genes. cap. 2. inquiens, scriptum est: Complevitq; Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere, quod patraret. Quare addit, hic duo, quæ fecit D E U S illo die, consideranda sunt: quievisse scilicet, & perseverasse DEUM in opere creandi mundum. Quia eo die septimo complevit opus suum, quod fecerat; si autem complevit opus suum, quod fecerat: Igitur licet factum esset, donec completum non esset, perfectum non erat. Laboravit ergo etiam die septimo in perficiendo opere suo, puta in ornatu vel alio opificio. Postea eodem die septimo, requievit ab omni opere, quod patraret, dicente Scriptura Genes. cap. 2. Et requievit die septimo ab universo opere, quod patraret; Quia nihil amplius operis faciebat. Unde ex hac D E I perseveratione in opere creandi mundum die septimo, possumus colligere: Si ratio superior militat, quod pro uno die, quo mundū creavit, mūdus persistere deberet mille annos, hac eadem ratione pro unaquaque hora, qua D E U S laboravit die septimo, in perficiendi mundi mahinā, mundus diutius durare debebat, quam annos sexies millenos, ad rationem scilicet & portionem horarum, quæ ratio sive portio est annorum quadraginta unius cum duabus partibus, ex tribus cuiuslibet alterius anni, pro qualibet hora operis illius septimi diei computando. Cum autem incertum sit, quot horis septimi diei laboraverit D E U S in perficiendo mundo, quia Scriptura id non exprimit, incertum relinquunt tempus, quo mundus completis annis sexies mille persistet. Quare non est certitudo statim eadem de die judicij, & ideo Christus respondens Discipulis eum interrogantibus, an in tempore hoc restituueretur Regnum Hebraeis, inquit: Non est vestrum nosse tempora, vel momenta temporum, quæ Pater posuit in suâ potestate. Act. cap. 1, vers. 7.

X. Ita quidem respondere Weidlino placuit, quod suo loco relinquimus, videatur enim à communi Theologorum sententia deflectere statuentium: Deum planè die septimo quievisse, & nihil amplius pertinens ad opus creationis, perfecisse. In qua etiam nos sumus sententia.

XI. Suffi-

347.

XI. Sufficit ex illis Judæorum concessionibus, adeoque ex proprijs ipsorum fundamentis sequi; Adventus Messiae tempus dum præteriisse, adeoque frustrâ adhuc ab ipsis expectari.

XII. Nihil enim hic inferre & excipere sciunt recentiores Judæi, quam quod quidem secundum Talmudisticam, hanc traditionem Messias in fine quarti millenarij venire debuisset, sed proper corum scelerata ipsum nondum venisse fingunt.

XIII. Addunt rationem; quia, inquiunt, in eadem traditione & quidem in calce, sic immediate sequi וְעַכְתִּים שֶׁרְבָּו יְצָא מֵהַשְׁמַנְיָה hoc est,

Propter peccata autem nostra, quæ creverunt, exierunt ex eis, scilicet annis, qui exierunt. Ubi glossa Rab. Salomonis ita ait: Veruntamen propter peccata nostra, quæ multiplicata sunt, non venit Messias in fine quatuor milium annorum.

XIV. Verum Galatinus d. l. mendacij & criminis falsi accusat Judæos. Primum enim dicit verba ista ejusdem traditionis non esse, cum neque Eliæ, neq; discipulorum ejus sit, Idq; satis ex ipsorum natura patere possit: Sed ab aliquo Rabbi Judaicam perfidiam protegere nolente, eidem traditioni verba ista addita fuisse. Atq; rei hujus indicium sumit ex libro עֲבוֹדָה זָרָה Aboda Zara, id est, servitus aliena: ubi eadem hæc traditio repetitur, causaq; ejusmodi illi additur, sed non eisdem omnino verbis. In capite enim לִפְנֵי אִירְוִין Liphne Edehen, hoc est, ante festa eorum, legitur. Tradidit domus Eliæ sex milium annorum durationem fore mundi. Horumq; duo millia esse vanitatis sive inanitatis; duo millia legis, & duo millia dierum Messiae. Propter peccata verò nostra, quæ multiplicata sunt, egressi sunt ex eis septingenti & quatuordecim.

XV. Ex quibus manifestum est, quod diximus, verba hæc postrema, quibus impietatem suam palliare & defendere conantur Judæi recentiores, non eadem esse cum ante allegatis, sed abijs diversissima; dum ibi nullum definiatur certum tempus; hic vero certus annorum numerus determinetur. Quod falsitatis Judaicæ efficax argumentum esse, concludit Galatinus.

XVI. Adde, quod idem diversitas styli arguat: Nam verba Eliæ sunt Chaldaica: verba verò ista annexa sunt Hebraica.

17. Deinde

XVII. Deinde demonstravimus supra disputat. 2. th. 93. quod peccatum non possit retardare vel impedire adventum Messiae: siquidem est causa propter quam Messias venire debebat. Nam iuxta Daniel. c. 9 v. 24. Propterea venturus erat Messias, ut peccata expiat, justitiam restitueret, iniquitates cohiberet. Et Esaias capite quinquagesimo secundo v. 11. de Messia vaticinatur. Scientia sua iustificabit justus servus meus multos, & iniquitates ipsorum ipse portabit. v. 12. Ideo partem dabo ei cum multis, & cum fortibus dividet spolia: eò quod effudit in mortem animam suam, & cum prævaricatoribus adnumeratus est. Ipse quoq; peccatum multorum tulit, & pro prævaricatoribus oravit.

XIX. Unde sic argumentamur:

Causa adventus Messiae, non potest illum vel retardare vel impedire:

Atqui peccatum Judæorum & omnium aliorum hominum fuit causa Adventus Messiae:

Ergo peccatum Judæorum &c. non potuit adventum illum vel retardare vel impedire.

XIX. Et sancè si cum demum venire deberet Messias, quando peccare planè desinent, & ab omni peccato immunes erunt Judæi, frustra ejus adventus exspectatur; Quia nunquam veniet. Impossibilis enim hypothesis, conjuncta cum affirmatione simplex negatio est. Quando enim hac in vitâ tam pii ac mundi futuri fuerint Judæi, ut planè in illis nullum vel sit vel appareat peccatum? Nunquam, nunquam!

XX. Adde, quod secundum Talmudistas, adventus Messiae accelerari quidem potuit, retardari verò minime. In libro enim Sanhedrin capite Helecia legimus: Dixit Rabbi Alexander, dixit Rabbi Iehosua filius Levi; scriptum est Esiae sexagesimo capite de salvatione, nempe quæ per Messiae adventum futura erat: Ego DEVS in tempore suo accelerabo eum si meruerint, accelerabo eum si non meruerint in tempore suo faciam eum.

XXI. Ex quibus Judæi quām plurimi rectè colligunt, Messiae adventum minime retardari potuisse, quin in tempore suo futurus esset, sed potius accelerari.

XXII. Ut etiam super eadem Esiae verba: Ego DEVS in tempore suo accelerabo eum, glossa sic loquitur: si fuerint boni ante tempus ejus, si autem non, in tempore suo: Et intelligenda est glossa ista secundum Hebraeorum doctores de salvatione per Messiam facienda

23. Unde



349.

XXIII. Unde intelligitur, quod, si Judæi boni fuerint, DEUS ad ventum Messiæ accelerare voluit: sin verò mali, propter eorum peccata non permittere debuit, quin ipsum tempore suo mitteret. Necessariò igitur Judæi concedere coguntur, eorum peccatis non obstantibus, Messiam tempore saltem determinato jam venisse, Galat. lib. 4. cap. 20. VVeidn. lib. 3.

XXIV. Quod verò alij obtendant, adhuc incertum esse, num vaticinij illius de sex millenariis annorum mundi, autor sit Elias Propheta ille priscus, an alias quidam Rabbi: & verisimilius esse hoc posterius, nempe fuisse alium quendam Rabbi, Judæos nihil sublevat. Quia enim Talmud receperunt: ejus autoritatem non possunt rejicere, quippe in ipso contenti. Taceo, quod demonstrare recentiores Judæi non possint, ab ullo hactenus Judæo vel Rabbi id in dubium vocatum fuisse.

XXV. Rabbi Zerachia negat vaticinium hoc de adventu Messiæ agere, nisi occasionaliter, ideoque ex illo nihil certi probari posse.

XXVI. Sed quis non summam Rabbi hujus impudentiam quasi manibus palpat? quâ negare audet clarissima hæc verba; *duo millia dies Messiæ*. Et si vel maximè non ex professo, sed duntaxat incidenter, hic de tempore Messiæ injiceretur mentio, num propterea dicendum foret, nihil exinde probari posse, & quidem quando verba sunt clara perspicua, ad propositum, cuius incidenter fit mentio, rectè accommodata & determinata? Minime gentium.

XXVII. Quia igitur hîc ejusmodi habemus verba, quæ omni ambiguitate carent, obscuritatemq; nullam involvunt, sed expressè loquuntur de adventu & diebus Messiæ, illosque certo annorum numero exactissimè determinant, definiunt & circumscribunt: quis non videt, vel intelligit, sive occasionaliter sive ex professo mentio hîc Messiæ fiat, cogi nihilominus Judæos, & omnes qui linguam intelligunt, & quid loqui sit sciunt, concede te & agnoscere, elapsis duobus millibus legis, residuos bis mille annos deberi Regno Messiæ, qui futurus sit legis profectio, ejusq; arcanae expositionis, ut verba Hebræa sonant.

XXIX. Ceterum alij Talmudistæ distinguunt eorum tempus mundi in septem secula: Quorum primum fuit primi mundi, ab Adam usque ad Diluvium: Alterum secundi Mundi a Noa, usque ad Abraham; Tertium Circumcisionis usque ad Moysen: Quartum tabernaculi, usq; ad primum templum. Quintum primi templi usq; ad captivitatem Babyloniam: sextum secundi templi, usque ad ejus destructionem factam per Titum & Romanos: Septimum dicunt esse necessariò Messiae seculum.

XXX. Ex quā Iudaorū propria mundi divisione, non potest non inferri & certo concludi, dudu Messiam venisse, homines q̄ jāndi in tempore & seculo Messiae versatos esse. Quandoquidem ultra mille quingentos annos retro, impleta fuerunt duo milia annorum legis, & octuagesimi quinti Jubilei, & sexti secula mundi in templo secundo: Negari igitur non potest ab illo tempore, nos esse in seculo Messiae & ultimo seculo mundi.

XXX. Confert quoque Weidnerus, absque dubio ex opinione Iudaorū, totum mundi tempus cum solaris anni partibus. *Sicut,* inquit, *annus Solaris habet quatuor tempera, scilicet: Hyemem, Ver, Aestatem, & Autumnum;* ita & magnus ab Adam usque ad iuuentutem mundi annus, quatuor temporum varietate distinguitur.

XXXI. Primum igitur (pergit) tempus, deviationis in humano genere, ab Adam usque ad Moysen censetur fuisse, cecitatis & ignorantiae; & comparatur Hyemi, ob virium imbecillitatem. Secundum tempus revocationis seu renovationis à Moyse, usque ad Messiam sive Christum nostrum, ejusq; nativitatem Veri comparatur, habens quidem aliquid caloris & luminis, sed interim multum adhuc tepidatius & umbrarū per involucra legis, homines edociti ad agnitionem DEI quodammodo emerserunt, inter quos pleriq; insignes fuerunt; Tertium tempus reconciliationis seu visitationis, à nativitate usq; ad ascensionem Christi, Aestatem representat longè lateq; sparsis & diffusis, celestis doctrinae radiis. Quartum est peregrinationis, ab ascensu Christi, usq; in diem judicij, quod recte Autumno confertur.

XXXII. Verum allegoria illa vix firmiter aliquid adversus Iudaos probabit; Quare illam suo loco relinquemus.

XXXIII. Rursus Elia testimonium adducit Galatinus, quod in libro

351

libro antea allegato Sanhedrin cap. Hele^c, his verbis legitur
אָסֵר אֲלֵיכוֹ לְרַב יְהוָה אֵין הָעוֹלָם פּוֹחַת מִשְׁטוֹנִים וּחֲמִשּׁוֹת
בְּזִבְלוֹרֶת וּבְיוֹבֵל אָרוֹן בֶּן רֹוד בֶּן
id est, Dixit Elias Magistro Iude: Non erit, id est, non durabit mundus minus quam octoginta
quinque Iubiléis, & in ultimo Iubiléo filius David veniet.

XXXIV. Ubi R. Salomonis glossa addit: **וְחוּנוֹר אַלְפִים** **שָׁנָות** **וּמְאַתִּים** **וּחֲמִשּׁוֹת** Quod est: Hi Iubiléi continent annos quatuor mille, ducentos, & quinqueginta.

XXXV. Secundum traditionem ergò hanc Messias venire debuit, anno ab orbe create quater millesimo, ducentesimo quinquagesimo, hoc est, anno post Christum passum, circiter ducentesimo quinquagesimo, quo tempore Evangelium de Christo in universo mundo prædicari cœperat, venturus erat. Quia igitur anni isti dudum præterière, quis tam amens erit, qui Messiam dudum venisse non statuat? Nemo sanè, nisi obcecati Judæi, qui audientes non audiunt, & videntes non vident.

XXXVI. Porrò concedunt Judæi, Filium David venire non debuisse, donec dominarentur Romani super Israël novem mensibus: At qui verò Romani non duntaxat novem menses, sed ultramille sexcentos annos in Judæos dominantur: Ergo concedane necesse est, ante annos mille sexcentos venisse Messiam.

XXXVII. Minor probatur, i. Quod loco quoque allegato nempe libr. Sanhedrin cap. Hele^c ita legitur: Dixit Rabbi: Non veniet Filius David donec dominetur Regnum nequam super Israël novem mensibus, sicut dictum est Micheæ 5. cap. Propterea dabit eos (nempe Israëlis, ut interpretatur glossa Rabbi Salomonis) usq; ad tempus, quo parturiens pariet. Ubi addit Glossa R. Salomonis: Et hi sunt novem menses.

XXXVIII. Deinde idem in libro, qui **יְמִינָה** Ioma, id est, dierum, vocatur, repetitur: Non erit filius David veniens, donec dominetur regnum nequam universo orbi, novem mensibus, sic scriptum est Micheæ 5. cap: Propterea dabit vos usq; ad tempus, quo parturiens pariet: Et residuum fratrum suorum converietur ad domum Israël.

XXXIX. Per regnum autem nequam intelligi imperium Ro-

B 2

mano-

manorum, est quoque manifestum ex glossa R. Salomonis, qui Regnum nequam per Regnum Romanorum interpretatur.

XL. Idem quoq; liquet ex Midras tehilim, i. e. ex expositione Psalmor.

לטנץח על אירן חשור: Ubi super titulū Ps. 22. legitur: Id est, victori super cerva auroræ, hoc est, quod scriptum est Psalmo quinquagesimo septimo: Surge gloria mea, surge Psalterium & Cithara, surge mane vel diluculo. Et iterum Psalmus centesimus octavo: Surge Psalterium & Cithara, surgam manè vel diluculo. Loquar de quatuor regnis: Surge in Babel ubi suscitasti nobis Misaël, Ananiam & Azariam. Surge in Media, quia ibi adstare fecisti nobis Mardochaeum & Esther. Surge in Græciā quia ibi adstare fecisti id est, Ṣonā' חסן Hasmonai, id est, Machabæos, Mathatiam, scilicet, & filios ejus. Surge in Edom, id est, in Romanis, cum futurum est, ut adstare nobis facias Messiam, de quo scriptum est: Surge diluculo. Ex qua, inquam, traditione luculentissime quoque patet, quod tempore quarti regni, hoc est, Romanorum, quando nempe universo orbis dominarentur, Messias venturus esset.

XLI. Minorem quoque veram esse qui negat, nihil scit in historiis, imò id, quod omnes populi farentur, & pro certissimo ac infallibili agnoscunt, in dubium vocat. Imò ipsimet Iudæi illam docent in suo Talmud libro Abodah Zarah c. liphne edehen, id est, ante eorum festa, ubi sic scriptum legimus: Dixit Abba, per annos centum octoginta ante destructionem domus sanctæ secundæ, dominatum est regnum nequam, id est, Romanorum super Israël, id est, super Iudeos.

XLII. Unde certa & immota est nostra conclusio: Si enim Messias tunc venire debuerit, quando Romani novem mensibus super Iudeos & universum terrarum orbem dominati fuerunt, & verò Romani, maximè temporibus Augusti & Cæsaris, sub quo Christus natus est, & Iudeis & universo terrarum orbi imperaverint, certum utique manifestissimum quod erit, Messiam tunc venisse.

XLIH. Quæ enim hic excipiunt, indigna sunt, ad quæ quicquam respondeatur. Dicunt enim primum, nativitatem intelligi metaphoricam, necesse de cognitione, quam DEUS de mittendo quodam Messia conceperat. Deinde, si omnino concedatur ipsum natum esse, inde tamen firmiter non inferri, ipsum venisse: cùm fieri possit, ut hactenus manserit apud Henoch & Eliam, suo tempore venturus.

XLIV. In

XLIV. Indignæ, inquam, insultæ, stolidæ ac impiæ istæ exceptiones nulla responsione, cum illarum impiæ vanitas, vanaque impietas unicuique facile per se prodat. Primam enim manifesta traditionis verba, mendacij arguere, quis non videt? Circumstantias enim revera nati infantis luculenter describunt. Deinde quomodo fieri potuit, ut primum tempore Excidijs Hierosolymitanis cogitationem DEI subierit, eique; in mentem venerit Messias: Potest in mentem divinam aliquid in tempore incidere, quod ab æterno in ea non fuit? Potest Deus de aliquâ re in tempore cogitare incipere, de quâ non præterito tempore, nedum ab æterno, cogitavit? Qui ita statuit, blasphemus est, & ex DEO immutabili, idolum mutabile, atque; sic ex Deo non Deum facit, proindeque; ipsum DEUM negat & tollit.

XLV. Secunda dicit Messiam delitescere apud Henoch & Eliam: cur non Romæ sub porta urbis commorantem, ascendente in inter leprosos, afflictum, & egenum, ut delirant Rabbini in lib. Sanhedrin cap. n. Cur non in Scythia ultra mare Cospium, vel nescio quibus locis remotissimis, quæ à nostris per fluvium Sabbathicum discriminatur: ut de illis multa fabulator Kambam in Num. n. Et Eliam Levitam in Tisbir ad Sambation? Egregia sancte Iudeorum constantia, suavissima somnia, in campo Elysio nata! Ad summam: Ejusmodi vanitatibus digni sunt, qui pro veritate mendacium amant.

XLVI. Tandem ita argumentamur.

Quicunque unum post alterum suscepserunt Messiam, illi in conscientia convicti, tacite apud se statuunt & sciunt, tempus adventus Messiae, à Prophetis determinatum, præterisse:

Atqui Iudei unum post alterum suscepserunt Messiam:

Ergo Iudei in conscientia convicti, tacite apud se statuunt & sciunt, tempus adventus Messiae determinatum præterisse.

XLVII. Major est certa, si enim quis nesciret, fieri non posse, quin Messias venerit eversis Hierosolymis, templo & sacrificijs, quomodo toties Messiam vel diligere, vel recipere, & se in extremum periculum conjicere posset. Imò in specie, inter Iudeos id ignoratum non fuit: cum expressè in saepius allegato libro Sanhe-

drin cap. Heles legatur: R. Akibam locum Haggaei secundo, de modico ad Messiae adventum tempore, expoluisse & ursisse.

XLIIX. Minor quoque verissima est. Nam i ex Novo Testamento notum est, Judæos Johanni Baptista Messiae honorem deferre, non dubitasse.

LIX. Deinde paulò post Christi passionem (regnante nimis adhuc Herode Agrippa, ut testatur Glossa Salomonis in lib. Sanhedrin cap. Heles) surrexit quidam Judæus, à Judæis Messias suscepitus, nomine בֶּן כוֹזְבָּה Bar Cozba, secundum quosdam;

secundum alios בֶּן כוֹזְבָּה Ben Cozba,

L. Quæ verò nomina idem plane sunt, cum re optimè congruentia. Nam בֶּן Chaldaicm est & בֶּן Hebraicum nomen, idem significans, quod latinis filius: כֹּזֵב Cazab autem significat mendacium. Est igitur בֶּן כֹּזֵב sive בֶּן Bar-sive Ben Cozba filius mendacij sive falsitatis Galat. lib. 4. cap. 21.

LI. Quod nomen, si nihil aliud ipsis argumento esse debuisset, hominem istum impostorem & nequaquam Messiam fuisse. Cum Messias non filius mendacij, sed veritatis, imò ipsius DEI, à Prophetis denominatus sit.

LII. Est igitur in hoc impletum, quod Christus Johannis s. Judæis vaticinabatur: Ego veni in nomine Patris mei, & non receperis me: si autem in nomine suo veniet, eum recipietis.

LIII. Omnipotens hic in nomine suo, nempe in nomine mendacij, veniebat, ipsumq; stulti & obecatati sine omni miraculo vel signo, quemadmodū à Christo quæsierant, acceperat & viderat, suscipebant, idq; non tantum plebeijs, sed etiā sapientum Judæorū maxima pars, inter quos fuit Akiba vir & Rabbi apud Judæos maximæ autoritatis, quippe habitus de sapientioribus Talmud. Sic n. de eo testatur & palam scribit R. Moyses ben Maimon in libris Regum: Rabbi Akiba, sapiens fuit & quidem de sapientioribus Talmud. Ipseq; ferebat arma Barcozba regis, & dicebat, ipsum esse Messiam. Ipse enim sic arbitrius est, omnesq; sapientes generationis suæ putabant eum esse Messiam, quo usq; ob scelerā sua fuerit interfactus. Et non petierunt sapientes ab eo signum neque miraculum. Hactenus Rabbi ille Moyses, allegante Galat. d. L.

LIV. Ur

355.

LIV. Ut autem hic Rabbi Akiba populo Judaico persuaderet, hunc Benozbam Messiam esse, assumit (ut testatur Talmud in Sanhedrin cap. Heleg.) dicta Prophetarum de Messia vaticinantia, & cum primis illud Haggei cap. 2. v. 7. 8. Adhuc medicum unum est, & ego commovebo celum & terram, & mare, & aridam, & commovebo omnes gentes, & veniet desiderium omnium gentium.

LV. Quod quidem, ut & ceteras de Messia Prophetias, recte ad Messiam accommodabat, de quo ejus adventu solidissime interpretabatur, simulque ex illis firmissime & satis convenienter ac orthodoxe demonstrabat, tempus exhibitionis Messiae adesse, quod vero postea omnia ista, ad hunc nequam hominem Barcozbam applicabat, ipsumque verum Messiam, de quo Prophetae ista loquerentur, pronunciabat, & proclamabat; in eo gravissime lapsus est, maximaque calamitatum in populo Judaico ansam dedit.

LVI. Hinc enim, ut & aliorum suorum Magistrorum persuationibus, moti Judaei, dictum Benozbam Messiam agnoscentes, recipientes, colentes, adeoque toti ab eo haerentes, a Romanis deficiebant, contraque illos insurgebant. Quod a grecis ferentes Romani, quomodo hic Judeorum fastus & rebellio opprimi, rebellantesque rursus in ordinem redigi & ad obedientiam cogi possent, solliciti erant.

LVII. Vespasianus igitur una cum Tito filio (quos comitabantur quatuor duces, Dux Arabie, dux Phoenicis, dux Alexandriae & dux Palestine, ut est in libro expositionis planctus Jeremiæ, qui איכה ורבנן Echa Rabbethi dicitur) contra rebelles illos Iudeos miseras est; qui (ut loquar cum Galatino d.l.) infesto azymorum, in quo Judæi ipsi perfidi Christi mortem perpetraverant, innumeros fecerunt eorum populos, qui Hierosolymam ad festum illud celebrandum convenerant, conclusit; Et sicut tribus annis cum dimidio, quibus Salvator mundum docuerat, Dei gratiam contemserant; ita tribus annis cum dimidio, eos illi principes Romani, obsidione atroci atque durissima adfixerunt. Ad angustias igitur summas, incitasque maximas redacti Judæi, ad Benozbam Messiam suum, cuius amore impulsi adverlus Romanos surrexerant, configiunt, & tum primum signum aliquod, nempe liberationis suæ, ab eo petunt.

LIX. Im-

LXXX. Impotens autem hic Messias cùm signum sive miraculum nullum edere. Judæosq; è Romanorum manibus eripere, etque ita liberare non posset, à proprio suo populo crucidatus est. De cuius morte in libro Sanhedrin cap. Hæc sic legitur: Dixerunt ei Magistri; Scriptum est Esaïe 11. cap. de Messia, quod odorans erit & judicans, hoc est, odoratus sentiet, quis innocens, quis reus erit, videamus igitur, an odorando id judicare valeas. Qui cum vidissent quod non esset odorans & judicans, ipsum interfecerunt. Hæc Talmud. Atque ita, hic nequam homo & fallax Mæsius, ut meritus erat, miserè perire.

LIX. Postea autem Vespasianus Judæos vicit, immensam eorum multitudinem partim, crudeliter mactavit, partim in servitutem perpetuam abduxit: urbem devastavit, templum solo adæquavit: tandemq; hisce omnibus peractis, ut nullus Judæorum deinceps Sabbathum servaret, nullus à menstruata conveniret: decrevit & severè mandavit, ut hæc in Talmudi libro, qui Meghila, id est, historia appellatur, fusè narrantur.

LX. Verùm tanto hoc damno percepto, nondum rectè sapere didicerunt Judæi: sed ad ingenium suum intranquillum, inquietum & rebelle redeuntes, anno ab excidio Hierosolymorum quadragesimo octavo cum dimidio, oppidum nomine Bitter/ sibi Metropolim fecerunt, aliumq; ac novum Regem sive Mæsiam præfecerunt, ejusdem cum priore nominis Bencozba sive Barcozba,

LXI. Quod sancte nomen, insanis hisce in mentem revocare debuisset, quomodo Hierosolymis ab impostore ejusdem nominis illusi ac decepti fuissent: Verùm neq; hoc ipsum attendunt vel sapientissimi Judæorum..

LXII. Nam nequam hunc hominem, ipse quoq; Rabbi Akiba Mæsiam recipere, nec non hanc de isto deceptore opinionem, autoritate sacrae Scripturæ, ad id abusus, persuadere universo populo Judaico, non dubitavit.

LXIII. Sic enim legitur in Talmud Ierosolymitano in libro, qui Tannith, id est, de jejunio (allegante Galatino) inscribitur cap. quod incipit בְּשַׁלְשָׁתְ פְּרָקִים Bislofa perakim, id est, in tribus capitulis; Rabbi Akiba Scriptoram illam Num. 23.

Orietur

357.

Orietur stellæ ex Jacob, ita exponebat; Oritur Barcozba ex Jacob. Et
suum videret ipsam Barcozbam, dicebat: En hic est Rex Messias. Quod
etiam habetur in expositione planctus Jeremias super illud
Thren.2.dictum: Dissipavit Dominus, & non est misertus. Ubi dicitur
R. Judam filium Elia dixisse, quod R. Akiba exponens dictum il-
lud: Orietur stella ex Jacob, dicebat: Non esse legendum כוכב כוֹכָב Co-
chab, id est, stella; sed כוכב כוֹכָב Cozab, id est, mendacium, quod sui fal-
si Messiae nomen erat.

LXIII. Adhaerentes igitur huic falso Messiae Judæi maximæ-
que clades, in excidio Hierosolymorum simili occasione ac rebel-
lione perpeccæ, planè obliti, cum isto adversus Romanum impe-
rium insurgunt, & tumultuantur. Quod animadvertisens Ha-
driani Cæsaro exercitu fortissimo, oppidum Bitter, in quo ferè in-
numerabilis Judæorum tum multitudo coacta fuerat, ut ex Be-
reysikh rabbâ, id est, ex expositione magna lib. Genes. intelligitur, ob-
sedit, tandemque tertio obsidionis anno cœpit, cum maxima Ju-
dæorum strage. Nam ut nonnulli volunt cecidit falsus hic Mes-
sias una cum quater millesies millibus, vel ut alii, quadraginta
quinque millibus Judæorum; Vide Galat. d.. qui latè hoc describit.

LXIV. Ex quibus meridiana luce clarior est, nullam aliam
ob causam D E u M tam duriter in Judæos animadvertisse, quam
quod vero Messia repudiato, & tam crudeliter tractato, falsos re-
cepere: proindeque certissimum esse, Messiam verum dudum
venisse.

LXV. Hactenq' E, ex proprijs Judæorū scriptis Messiam verum
venisse, probavimus; consequens nunc est, ut præcipua illorū ar-
gumenta, quibus firmiter negare se posse adventum Messiae autu-
mant, videamus.

LXVI. Primum igitur allegant caput 2. Esaiæ, ubi Propheta sic
loquitur v.2. Et erit in novissimis diebus, præparatus erit mons domus Ieho-
væ in vertice montium, & elevabit se præ collibus, confluentq; ad eum omnes
gentes, v.3. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite & ascendamus ad mon-
tem Iehovæ, ad domum DEI Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus
in semitis ejus: quia de Sion exibit lex & verbum Iehovæ de Ierusalem. 4. Et
judicabit inter gentes. & arguet populos multos, & contundent gladios suos
in ligones & lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladi-
um, & non discent ultra bellum.

Ex his verbis, sex contra adventum Messiae argumenta colligunt Judæi. Primum est.

Qui venire debet in novissimis diebus, sive fine dierum, igit nondum venit:

Atqui Messias debet venire in fine dierum,

Ergo Messias nondum venit.

Major videtur certa. Minor nimirum verbis prophetæ: Et erit in novissimis diebus sive in fine dierum, ubi per dies intelligit tempus Messiae.

LXIX. Secundum: Quando non videamus montem templi Domini super capita montium elevari; Messias nondum venit.

Atqui ad hoc usque tempus, non videamus montem templi Dei super capita montium elevari.

Ergo ad hoc usque tempus Messias non venit.

Major continetur in verbis Prophetæ: Præparatus erit mons domus Jehovæ in vertice montium, & elevabit se præ collibus. Minorem probare viderur ipsa experientia. Quandoquidem adhuc non vidimus montem templi Domini super montium capita elevari.

LXX. Tertium est.

Messias erit ad quem confluent omnes gentes:

Atqui hactenus nondum ad ullum aliquem confluxerunt omnes gentes.

Ergo hactenus nondum fuit Messias.

Major rursus nimirum Prophetia allegata: Confluentque ad eum omnes gentes. Minorem etiam experientia confirmat. Non enim Saraceni, non Tartari, non alij multi populi, d' aliquem tanquam Messiam per fidem concurrerunt.

LXXX. Quartum est.

Quando venerit Messias, ibiunt populi multi & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini & ad montem Dei Jacob:

Atqui in adventu Jesu Nazareni hoc non factum est, neque adhuc fit.

Ergo Jesus Nazarenus non fuit Messias: Et per consequens Messias nondum venit.

Major

359.

Major continet ipissima verba Prophetiae v.3. Minorem
sursus comprobat experientia. Quandoquidem nonnulli qui in
ipsum credunt, dicunt, eamus ad domum Petri; nonnulli, eamus
ad domum Pauli: alij, eamus ad domum Ulrici; alij ad domum
Francisci, ad domum Johannis, Nicolai, Sebastiani, Antonij, Mau-
ritij, Stephani, Martini, Burchardi, Minoritarum, & nescio quo-
rum non.

LXXI. Quintum est:

Tempore Messiae tanta erit pax, ut arma bellica in instru-
menta agriculturae conversa fuerint.

Atqui hactenus nondum fuit, neque jam est ejusmodi pax:
Ergo hactenus nondum venit Messias.

Major est Prophetae: v.4. Et conducent gladios suos in li-
gones, & lanceas suas in falces. Minor certa est: cum quilibet fa-
teri cogatur: quod hodie tam cruenta gerantur bella, quam gesta
sunt antiquis, imò, nifallor, majora, acriora & cruentiora.

LXXII. Sextum est:

Quando venerit Messias, pax in mundo erit sine fine:

Atqui nondum est pax in mundo sine fine.

Ergo nondum venit Messias.

Majorem exprimunt ultima allegata verba Prophetiae: Non
levabit gens contra gentem gladium, & non discent ultra bel-
lum. Minorem qui non veram videt, in mundo nihil videt, nihil
audit.

LXXIII. Septimum porrò argumentum desumunt ex ejus-
dem Prophetae Esaiæ cap.ii.v.i. Et egredietur virga de semine Isai, &
surculus de radice ejus crescat. 2. Et requiescit super eum spiritus Iehova, spi-
ritus sapientie & intelligentie: Spiritus consilij & fortitudinis; spiritus scien-
tie & timoris Iehova. 3. Et adorari faciet eum in timore Iehova: & non se-
cundum visionem oculorum suorum iudicabit, neq; secundum auditum auri-
um suarum arguet &c. usque ad cooperientes.

LXXIV. Ex illo ergo loco sic argumentantur.

Tempore Messiae ferè esum carnium deserent, omnem feri-
tatem deponent, cum domesticis & mansuetis se se con-
jungent, & illis accumbent &c.

G 2

Acquis

Atqui tempore nostro, ut & præterito istud non contigit.
Ergo tempus nostrum & præteritum, non est vel fuit tem-
pus Messiae: Et per consequens Messias nondum venit.
Major est ipsa Prophætia: Minor omnibus patet.

LXXV. Octavum argumentum colligunt ex Deut. 30. cap.
v.3. Tum reducet Iehovah DEVS tuus captivitatem tuam, & miserebitur tui,
usque ad v.5 te magis quam patres tuos. Unde talis formari potest
conclusio:

Messias debet per totum orbem dispersos Judæos congre-
gare, reducere que ad terram, quam patres ipsorum pos-
sederant.

Atqui, ut nullus hoc fecit, ita neque Jesus Nazarenus præ-
stít.

Ergo nullus ita, neque Jesus Nazarenus fuit Messias, & per
consequens Messias nondum venit.

Major est certa per textum allegatum. Minor probatu faci-
lis est: Plures enim, quam mille & quingenti anni flu-
xerunt, quando per totum orbem dispersi fuerunt Ju-
dæi, à nullo verò hactenus rursus congregati, & in pa-
triam sive terram suam reducti sunt.

LXXVI. Nonum portio desumunt ex Zachariæ 6. cap. v.12.
Ecce vir, Germen nomen ejus. & de loco suo germinabit, & edificabit tem-
plum Iehovæ, v. 13. Ipse inquam, exstruet templum Iehovæ, & idem por-
tabit gloriam, sedebitq; & dominabitur in solio suo v.15. Et erit, si audienda
audieritis vocem Iehovæ DEI vestri. Item quia etiam ex ult. v. hujus Pro-
phetæ colligitur, quod Ierusalem & templum, tempore Messiae reædificari
debeat: Unde recentiores Judæi ita argumentantur.

Quando edificatur templum tertium Iehovæ, tum aderit
Messias:

Atqui nondum edificatum est templum tertium Iehovæ:
Ergo nondum adfuit vel venit Messias.

LXXVII. Decimum argumentum deducunt ex Jeremiæ c.
23. v.5. Ecce dies venient, dixit Iehovæ, & suscitabo Davidi gerumen justum,
& regnabit Rex, & prosperè ager, & faciet iudicium & justitiam in terra.
6. In diebus ejus salvus erit Iuda & Israël habitabit confidenter, & hoc est
nomen ejus, quod vocabunt eum JEHOVADIN justitia nostra, unde sic
colligunt:

In

In adventu Messiae salvi erunt Judæi & Israël.

361

Atqui in advento Jesu Nazareni non salvi fuerunt Judæi;
sed potius perditæ.

Ergo adventus Jesu Nazareni non fuit adventus Messiae, &
per consequens Messias nondum venit.

Major est prophetia, quam de Messia loqui firmiter statu-
tint Judæi, probantque per Targum, sive Chaldaicam
versionem, dicentem **הִיא יּוֹמָן אַתָּן אָמֵר יְהוָה וְאַקְיָן לְדוֹר כָּשִׁיחַ וְצַדְקָה** i.e. Ecce dies venient, dicit Dominus,
& statuam Davidi Messiam justum. Minorem probant, quia in-
quiunt Judæi, nunquam cor, tamque gravia mala perpetrati sumus,
qualia in diebus ejus nobis evenerint, cū penitus destructi, dissi-
pati, & per totum terrarum orbem dispersi simus.

LXXIX. Undecimum argumentum ita potest formari:

Quando Messias veniet, Gog erit interemptus & Magog ex-
pugnatus.

Atqui Gog nondum est interemptus, & Magog nondum
expugnatus.

Ergo Messias nondum venit.

LXXIX. Minor cum à nemine in dubium vocetur, Majorem
tantum probant per illa scripturæ dicta, quæ de Gog & Magog lo-
quuntur, ac præsertim per id, quod dicitur apud Ezechielem c. 38.
v. 2. Fili hominis, pone faciam tuam contra Gog & terram Magog principem
capitis Meseth & Thubal, ubi Glossa Salomonis: Gog, inquit, est nomen
Regis, Magog nomen gentis sicut dicitur Gen. 10. **גּוֹג וּמָגֹג** id est, Go-
imer & Megog. Porro v. 17. sic dixit Dominus Jehovah: Num tu es
ille, de quo locutus sum in diebus antiquis per manus servorum meorum pro-
phetarum Israël, qui prophetaverunt in diebus illorum annorum, quod ad-
ducerent te super eos? ubi Glossa R. Salomonis ait: Dixit DEVS san-
ctus & benedictus: Num tu es ille, de quo adnunciavi in diebus antiquis per
manus servorum meorum prophetarum Israël? ut fuit Ezechiel & Zacha-
riæ: Nam & ipse Zacharias prophetavit de prælio Gog & Magog cap. 4. his
verbis: Et congregabo omnes gentes in Ierusalem ad prælrium: Et capietur
civitas & prætabuntur, vel diripientur domus, & mulieres stuprabuntur. Et
exibit medietas civitatis in captivitatē, & residuum populi non abscedetur

C 3

de

de civitate: & egredietur D E V S, & pugnabit cum gentibus illis. Magistri vero nostri dixerunt quod illud & Midad prophetaverint etiam de bello Gog & Magog: Quod indicat haec dictio שָׁנִים sanim hic dicta Tu autem non dicas שְׁנִים sanim, id est, annorum, sed שְׁנִים sanaim, id est duorum. Duo enim prophetae pronunciarunt prophetiam eodem tempore.

XXC. Ex his, inquit Galatinus lib. 5, cap. 11. & ex aliis, que Ezech. ipse 39. cap. de Gog. & Magog meminit, sumunt juniores Iudeorum sue negitiae argumentum: & potissimum majorem a nobis positam.

XXCI. Duodecimum argumentum, in specie contra Messiam nostrum directum sic potest formari:

Quicunque post se non reliquit semen, non fuit verus Messias.

Atqui Jesus Nazarenus post se non reliquit semen.

Ergo Jesus Nazarenus non fuit verus Messias.

XXCII. Majorem certam esse putant Iudei, quia sacra scriptura testatur, Messiam post se relictum semen, ut Esaiæ 53. v. 10. Videbit semen longevum & voluntas Iehovæ in manu ejus prosperabitur. Et Pial. 89. v. 30. Et ponam in seculum semen ejus & thronum ejus sicut dies cœli. Minorem non negant Christiani: Ergo putant Iudei conclusionei certissimam esse.

XXCIII. Decimum tertium argumentum desumitur ex 26. cap. Levitici v. 44. Et tamen etiam hoc modo cum ipsi fuerint in terra inimicorum suorum, non reprobavi eos, neque abominatus sum eos, ut consumere eos, irritum faciendo pactum meum cum eis: Ego enim Iehovah D E V S eorum: 45. Sed recordabor propter eos pacti priorum, ego qui eduxi eos è terrâ Ægypti in oculis gentium, ut essem illis in D E V M. ego Iehovah.

XXCIV. In texu hoc Iudei maximè tripudiant ac triumphant: vocantque illum simiam auream, quod incipiat à voce Hebreæ אַיִל Af, quæ nobis Germanis simiam significat, ex illo ergo concludunt serè in hunc modum:

Quando nondum sunt Iudei reducti in terram Canaan, nondum venit Messias, qui ipsos eo dederet:

Atqui

363.

Atqui nondum sunt Iudæi reducti in terram Canaan.
an.

Ergo nondum venit Messias, qui ipsos eò dederet.

XXCV. Atque hæc sunt serè argumenta, quibus potissimum in genere probare conantur Iudæi Messiam nondum venisse. Verum, primùm in genere omnibus istis argumentis, eria cum Helvico oppono argumenta, ex quibus facilè solvuntur.

XXCVI. Primum est: Quod prophetæ res cœlestes & spirituales per terrestres & corporeas allegoricè describere solent. Quare nulla est consequentia à negatione rerum terrestrium ad negationem cœlestium. Quod ipsimet vetustiores Hebreorum Magistri urgent, adserentes stultos illos esse, qui phrases semper velint ad literam, & non allegoricè intelligere.

XXCVII. Alterum, quod plurima Prophetarum vaticinia in hac vita per incoationem, in æterna verò per complementum intelligenda sint, idque propterea quod instauratio & restitutio humanæ naturæ beneficia, de quibus prophetæ vaticinatur fidelibus plenariè contingent in altera vita.

XXCIX. Extremum, quod duplex adventus Messiae describatur à Prophetis unus in humilitate, de quo Isa. 53. & Zachar. 9. vers. 9. alter in gloria & majestate, de quo Dan. 7. v. 14. prædictur. Quos verò, quia concordare Iudæi nesciunt, duos diversos Messias, & nescio quas alias fabulas fingunt. Videatur Helvicus append. quarta & ultima Elenchorum Iudaicorum.

XXCI X. Deinde in specie ad primum dicimus, quod Iudæi commitant fallaciam phraseos. Nam verba illa novissimi dies, sive finis dierum in allegato Propheta, non denotant, finem mundi, adeoque ultima tempora ἀπλῶς ita dicta: sed, ut rectè demonstrat Galatinus lib. 5. cap. 2: illud propriè tempus, quod fluxit à Cyri tempore, usque ad tempus excidi Hierosolymorum, & templi secundi. Quod probat idem Galatinus ex Jeremiat cap. 49. vers. 39. Et erit in fine dierum, reducam captivitatem Elam, dicit DEVS. Per

Elaam

Eadem verò sacrificari significari Persidis regionem, ubi Cyrus, qui
Judeos ex captivitate dimisit, habitabat, ex Ezra cap. 1, liquet,

XCI. Ergò finis dierum hic dicitur non ἀπλῶς, sed in respe-
ctu ad Judeos, nempè quod in fine dierum regni & sacerdotij
& templi Judaici, præparatus fuerit mons domus Jehovæ &c.

XCI. Quid autem tempus illud secundi templi, ejusque status
recte dicatur finis dierum Judaicarum; inde est conspicuum.
Nonne enim Iudeorum bonum eo tempore evanuit, & omnes
irrevocabile malum super eos venit, ut ipsi metu Judæi negare
non possunt.

XCII. Tunc igitur (ut loquar cum Galatino) finita die, venit
vespera, que finis est dierum, solq; Iudeorum occidit, & ceciderunt super eos
tenebre, atq; calvities super eorum capita descendit, quia Messiam Dominum
negabant.

XCIII. Atque ipsi metu Rabini id negare non possunt. Sic enim
R. Moses Hadrianus in commentariis in Genesim, & quidem super
locum illum cap. 30. Et veniet Jacob de agro in vespera, & egressa est
Lia obvia ei: Hoc est, inquit, quod scriptum est Psalmus 104. pones tenebras, &
erit nox, in ipsa repente cuncta animalia sylvae. Leunculi rugientes ad
rapiendum, & ad querendum à Deo cibum suum. Oriente sole congregati
buntur: pones tenebras, id est, captivitatem Israel cum obtenebraverunt ope-
ra sua, juxta illius Esaiæ 29. dictum: Et fuerunt in tenebris opera eorum.
Ideo obtenebravit Deus contra eos mundam: sicut dictum est Iohannes 2. Sol &
Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum, sequitur &
erit nox. Hi sunt dies captivitatis, qui sunt Israeli, ut nox. In ipsa repente cun-
cta animalia sylvae. Haec sunt gentes seculi, quæ animalia sylvae vocantur, quia
repunt conculcando Israel, sicut dictum est Psalmus 80. Demolietur eam aper-
de sylva, & animalia agreste depascet illam. Sequitur Leunculi rugientes adra-
piendum Leunculi isti sunt gentiles, negantes Deum sanctum, & benedi-
ctum, ac rugientes ad rapiendum. Dixit R. Hanina, Ipsi sunt negantes Deum,
& rugientes ad rapiendum, & nihilominus requirent à Deo mercedem in fu-
turo. Quia dicitur, & ad querendum à Deo cibum suum. Et quæ erit eorum
merces apud Deum? Haec, quia, ut dicitur in eodem psalmi, oriente Sole con-
gregabuntur. Orietur enim Sol regis Messiae, sicut scriptum est, 2 Reg. 23.
Et sicut lux matutina orietur Sol. In illa hora occidet Sole eorum: Sol videlicet
Idolatriæ. Hinc ergo dictum est, & congregabuntur, vel adjungentur.
Hæc traditio.

94. Ex

365

XCIV. Ex quâ traditione Galatinus sex notatu digna & ad scopum probandum & illustrandū maximè facientia colligit. 1. Quod Iudei fecerūt opera tenebrosa, quod ipsorū tenebrae, sive nox dicatur captivitas, quod Deus cōtra eos mundum obtenebraverit. 2. Quod à leunculis, & sylvæ animalibus, h.e., ab omnibus seculi gentibus deleti fuerint. 3. Quod homines ratione prædicti, nominibus animalium irrationaliū appellati sint. 4. Quod gentes Iudeos deleturae à Deo mercedem suam, & requisiturae & accepturæ sint. 5. Quod merces illarum debeat esse Sol, id est. Messias, qui eis oriturus erat. 6. Quod contra illa ipsa hora, quando Sol Messiae illis oriri debeat, illis contra occasurus sit Sol idolatriæ.

XCV. Hæc maximè ad scopum nostrum, ad refutandos nempe Iudeos, faciunt, siquidem ad oculum & omnes sensus demonstrari potest, ista omnia impleta & facta esse, adeoque adventus Messiae tempus dudum præterisse.

XCVI. Primum enim (pergit Galatinus) Romani, qui tum propter eorum robur atq; dominium, tum quia Roma ipsa sub Leone est, verè Leunculi dici poterant, Deum per idolatriam negantes, quiq; cunctis orbis gentibus dominabantur, tunc diem Iudeorum obtenebrarunt, cum Titus primò templum eorum civitatemq; funditus evertit & demum Hadrianus eos perdidit.

XCVII. Deinde tunc à Deo mercedem quæsierunt, cum tempore Constantini & Sylvestri veram fidem suscepissent; & tunc etiam eis verus Sol, id est, Messias ortus est & Sol idolatriæ occidit.

XCVIII. Ex dictis igitur liquidò patet, finem dierum à Propheta allegato Esaia, dici omne tempus templi ultimi, usq; ad ejus destructionem.

XCIX. Quod etiam Galatinus ex eo probat, quod dictioni huic מִלְחָמָה Iamim præponitur litera ה, & dicitur הַיּוֹם Hajamim, quo accipit dictione illa Emphasim: Est n. & dicitur, illa litera ה sic nimis posita sive usurpata הַאֲחָדִידִיעַ He bajedia, id est, He noticiæ, eo, quod notificet dictionem cui præponitur, nō de re ignotâ, sed de notâ dici. Idq; porrò probat dicto Deut. 31. Novi, quod post mortem meam corruptione corrumpemini, & deviabitis in viâ, quam mandavi vobis: Et obvabit vobis malum. בְּאֵת הַיּוֹם in fine Hajamim, id est, illorum dierum, cum feceritis malum Deo, vel Messiae, ad provocandum eum in opere manuum vestrarum.

C. Malum autem hoc (ut rectè concludit Galatinus) tunc eis obviavit vel occurrit, cum in fine dierum suorum reprobato Messia Dei Filio, primum per

D

Vaspasia

Vespasianum & Titum, deinde per Hadrianum fuerunt penitus deleti, vel in cœptivitatem redacti. Hæc ergo ex Galatino ad primum argumentum. Cl. Ad secundum respondemus, Judæos recentiores, ita ex allegato Esaïæ dicto argumentantes, peccare contra fundamentum primum supra th. 93. positum: nempe confundere sensum literalem & proprium cum Metaphorico & spirituali: utitur quidem Propheta verbis, quæ proprie si sumantur, res corporales significant. Verum non literaliter & proprie, sed spiritualiter & metaphorice, quippe de rebus cœlestibus spiritualiꝝ; montis domus DOMINI elevatione loquentia, intelligenda & accipienda sunt.

CH. Id quod non tantum vetustiores Talmudistæ concedunt; verum etiam ex ipsius R. Salomonis glossa a perte ostendit: Is enim (allegante Galatino lib. alleg. t. 3.) super Esaiam, locum hunc exponens, docet, supra dicta Esaïæ & Michæl verba spiritualiter. Sic enim illa expōnit: Et erit in novissimo vel in fine dierum, id est, postquam deficiunt scelasti, vel postquam consumui fuerint peccatores: quemadmodum supra dictum est ab Esaia, cum ait: Et conteret scelostos & peccatores pariter & derelinquentes Deum deficiens vel consumentur. Præparatus erit: Totum eadem modo usq; ibi, ambulantes ambulabimus in lumine DEI. Hanc sententiam Prophetæ, ad DIVINITATEM referendam censeo. Nā quod derelictus sit populus, in causa fuerunt peccata eorum usq; ibi, completi sunt, & omnia, quæ ibi habentur, omniaq; capitula in vicem cōjunguntur, usq; ibi, canam nunc. Itaq; in novissimo sive fine dierum, quando ceſpitabunt peccatores, benignè cum ipsis faciens, præparatus erit mons Domini in capite montium, in monte scilicet, quod est caput omnium montium, QVANTVM AD DIGNITATEM sive quantum ad præcium & estimationem. Elevabitur super colles. Quoniam sc. magnificabitur DEVS SIGNO & MIRACULO, quod fiet in eo, majore signis & miraculis montis Sinai, Carmeli, & Tabor. Hæc R. Salomon. Qui verborū Prophetæ expositionem prosequens porrò ait: Et ibunt populi multi, i.e. quilibet populus confortabit se in vicē multis verbis, atq; exhortabitur, dicens: Venite ad atrium magnū, quod est in Ierusalem, quia ibi sunt iudicia Domini. Quoniā de Sion exhibet lex ad omnes gentes, & judicabit ipse mons inter gentes & arguet controversias atq; discordias earū. Et dicet, ad quid indigeris ulterius armis & invi. em præliemini? Et fluent, id est, congregabunt se & trahent se ad eum, veluti flumina, omnes gentes. Quæ omnia Rabbi Salomo.

ClIII. Ex quibus manifestū est (ut rectè concludit Galatin.) non quantum ad situm, montem domus Domini super montes & colles elevandum fuisse; sed potius quantum ad dignitatē & quantū ad signivel miraculi, ibi faciendi, magnitudinem. Vide ipsum Galatinum l. d.



CIV. Ad tertij argumenti majorem dicimus, illud **7** Col, quod idem est, quod *omnis vel cunctis*, latinis dupliciter usurpari, vel de singulis generum, vel de generibus singulorum. Dicimus ergo, quod in allegato loco, nō illo, sed hoc modo sit accipiendū, ut ejus sensus sit: quod tempore Messiae non tantum ex populo Judaico, sed ex omnibus aliis populis ac Gentibus, maxima hominum multitudo ad ipsum (Messiam) confluat; nempe, quod tum non amplius erit distinctio inter Iudeos & Græcos, sive quosvis alios populos: sed ex omni populo, qui sub sole est, sibi colligeret Messias Ecclesiam: ut recte aperto ore dixerit Petrus Act. 10. v. 34. In veritate deprehendo, quod DEVS non accipiat personam; sed in quavis gente, quisquis timet ipsum & operatur justitiam, is acceptus ei.

CV. Particulam autem **7** Col, etiam aliis in Scripturæ locis sic usurpari, manifestum est ex 2. Sam. cap. 16.

וַיָּבֹא אֶבְשָׁלוֹם אֶל פָּלָגֶת וְכֹל יִשְׂרָאֵל hoc est, Et ingressus est Absolon ad concubinas patris sui, ante oculos omnis, vel totius Israël. Et rursus cap. 17. Et ait Absolon **וְכֹל אֲישׁ** **וְכֹל אִישׁ** omnis vir Israël Domini, id est, melius est consilium Chusai Architis, quāri consilium Achitophel.

CVI. Ubi facile quilibet animadvertisit, quomodo particula **כָּל** posita sit: non quod simpliciter omnes Israëlitæ, nullo excepto, intelligi debeant; sed quod Absolon suum scelus perpetraverit in conspectu eorum, dixerintque omnes illi, qui totum populum Israëliticum representabant. Vide Galat. d. l. c. 4.

CVII. Nec est, quod nobis objiciant, Sarracenos, Tartaros & alios populos, Nam licet apud illos rariores sint qui ad Ecclesiam Christi & Messiam pertinent, dantur nihilominus, qui Christum agnoscunt & ut verum Messiam colunt. Imo inter Turcos, Sarracenos & Tartaros, maxima invenitur Christianorum multitudo.

CLIX Ad quartum argumentum d. l. cap. 5: respondet Galatinus. Quod nos arguunt de eo, quod dicimus: Eamus ad domum Petri & domum Francisci. & sic de reliquis: Respondemus, quod nullus, qui recte sapit, dictum hoc ita intelligit. Nullam quippe, Petro, vel Paulo, vel Francisco, vel alij cuivis sancto domum facimus: sed in memoriam Petri & memoriam Pauli, eam Deo dedicamus; Unde etiam quodlibet templum, quounque etiam nomine veniat, DEO duntaxat consecratum dicitur. Quare licet diversa dentur templa, una tamen manet spiritualis dominus DEI, unaque est Ecclesia omnium fidelium conventus.

Ad quād domūm accedit, qui de unitate Ecclesiæ est. In hac Christus ipse mons montium & sanctus sanctorum à fidelibus adoratur : in hac peccata remittuntur & pœnitentes cum Deo reconciliantur & in gratiam recipiuntur

CIX. Verum non inficiamur nos, maximum hac in re apud Pontificios fuisse, & adhuc esse abusum : quippe qui longè frequentius in ore & in corde animo volveat memoriam Sanctorum, quam ipsius Christi : ideoq; in illorum honorem longè splendidiora tempora & dignata illorumq; nominibus consecrata exstant, quam vel Trinitati, vel Christo, vel Spiritui Sancto dicata. Ut Magdeburgi, Mauritij templum satis magnificentum est : Johannis splendidissimum, ut & Ulrici ornatissimum, Jacobi quoque & similem : Verum Spiritus S. templum, facillum vix representat, sine ullo ornato & splendore conspicuum. Sic Halberstadij templum Stephani cathedralis est : Martini fatis splendidum, sic sanctæ Mariæ templum & aliorum sanctorum : satis magnificentum quoque Cœnobium Johanni, & alterum Burchardo consecratum, ibidem invenies. Verum locus Spiritui Sancto dicatus receptaculum est, cœcorum, claudicantium, & omnis generis pauperrimorum & agrotantium hominum.

CX. Verum ad hos & similes abusus dicimus & repetimus, quod supra quoq; monuimus, illos nimirum non esse hujus loci, cum praetextu fiant Evangelij, & sint nova planè depravatio, Messiaq; exhibiti obscuratio : de cuius introductione æquè libri Evangelici prædixerunt, atque de veteris abrogatione libri Prophetici.

CXI. Ad quintum respondemus, quod Judæi rursus impingant in primum Canonem supra positum, confundentes pacem mundanam seu politicam cum spirituali sive cœlesti : Propheta in dicto allegato, licet adhibeat verba, quæ propriè de bello mundo loquuntur, facit tamen id per allegoriam & metaphoram, intelligens foliam pacem spiritualem. Quocirca nulla est conseq̄uentia: tam frequentia, hodie sunt bella, imò forsitan frequētiora, quam priscis temporib; ergò pax Christi cœlestis & spiritualis quæ cōscientiæ est & recōciliatio & pax cum Deo, non adest. Imo tantum abest, ut bella politica pacem hanc tollant, ut potius eā per accidens conservent, cum sint saepius castigatio Ecclesiæ, quā in ardēti invocatione, pietatisq; exercitijs cōservantur pīj quę vera hujus pacis trāquillitatisq; cōscientię nutrimēta sunt.

CXII. Adde quod per gladios lanceas & similia instrumenta bellicâ spiritualiter

spiritualiter intelligi possint ac debeant linguae, verba, argumentationes & tota sapientia mundana sive Philosophica: quandoquidem illa captiva ducenda erant tempore Messiae in obsequium Messiae sive Christi, atque ita in instrumenta agriculturae spiritualis, ligones, falces & similia, quibus Messias in agro- & vinea sua spirituali exco- lenda uteretur, communanda.

CXIII. Hoc etiam, Christo nostro Messia exhibito, factum esse quis negabit? Quandoquidem inter Ethnicis sapientissimis ut Clemens ille Romanus, Dionysius Græcus, Cyprianus & Augustinus, Africani, & infiniti ferè alij, linguas, verba, argumentationum subtilitates, quibus ante suam conversionem disputando contra fidem Christianam seerrimè pugnabant, postmodum ad scelus Idololatriæ penitus extirpandum, ad hominum mendacia, traditiones, vanasq; opinio- nes radicitus ebellendas, DEI veri cultum ampliandum atq; ad ve- ras virtutes, tam in Judæorum quam Gentilium cordibus excitandas nutriendasq; converterint. Vide Galat. d. l. c. 6.

CXIV. In sexto rursus, pax mundana cum Spirituali, de qua Propheta loquitur, confunditur. Galatinus d. l. cap. 7. id quoque de mundana pace interpretatur, demonstrans ॥ Od. ultra, non semper æternitatem significare; sed interdum etiam aliquam temporis diuturnitatē, & non raro tempus admodum exiguum. Inde porrò colligit, tem- pore Domini nostri Jesu Christi impletum fuisse hoc Esaiæ dictum: Non levabit gens contra gentem gladium, nec discent ultra bellum: Ultra (ad- dit) id est, per aliquid tempus. Nam Christus natus est pacis satis longævæ tempore, Augusto orbi imperante. Quæ pax eo vivente semper duravit, & postmodum eo mortuo, per annos quadraginta, quo usque Judæi bella volentes, pacem ipsam turbaverunt contra Romanum imperium cum suo falso Messia Bencozba. Quod ergo a- mentes Judæi majus pacis indicium querent, quam universum ter- rarum orbem sub unius hominis dominio fuisse, ipsumq; ab unico il- lo, Augusto nimirum Cœlare, pacificè gubernatum fuisse? Quare ex- tra dubium esse videretur in tam diurna pace multa arma bellica in ligones, falces & vomeres conversa fuisse.

CX. Septimum argumentum non tam verbis, quam verberibus di- gnum esse videtur? Quis enim tam stolidus & stupidus, qui non sen- tiat verba Prophetæ Metaphorica & allegorica esse. Quod ipsum et- iam agnoscent vetustiores, inter quos Rabbi Moses Ægyptius, qui in

suis הַלְכֹת Hallacoth, id est, sententiis super librum Judicum (allegante Galatino d. l. cap. 8.) sic dicit: Non ascendet super cor tuum, quod in diebus Messiae desicere debeat aliquid de via hujus mundi, vel ut tunc innovari debeat aliquid de operibus sex dierum: sed potius, quod mundus ire debeat juxta solitam viam suam. Quod igitur apud Esa. c. ii. dictum est: Et habitabit lupus cum ariete: cum reliquis. Sensus est, quod Israël habitatus sit cōsiderenter cū impiis secuuli, qui leonibus & lupis ac pardis comparantur: sicut dictum est Ierem. 5. Percussis eos leo, de sylva lupus nemorū, vel repetrorū vastabit eos, pardus vigilat, vel infideatur prope civitatem eorū. Postquam consumti fuerunt peccatores, de quibus dictum est Esa. i. Et dereliquentes Deum consumentur: Et conversi fuerint omnes ad legem veritatis, tunc nō decipient, neg, destruent, sed comedent licita in tranquillitate cum Israēl: sicut dictum est ab Isaia: Et leo, sicut bos comedet paleā, & sic in hunc modū, verba scripta de Messia similitudines sunt. In tempore a. regis Messiae scietur de omnibus, cuius rei & quā ob rem fuerint similitudines, & quid per eas significatū sit. Dixerunt n. sapientes, quod non interierit inter seculum, hoc & dies Messiae, nisi servitus duntaxat regnorū. Hęc omnia idē Rab. Plura lege apud Gal. l. d. CXVI. Ad octavum argumentum expedita est responsio, quod Judæi locū allegatum ex Deut. 30. cap. perpetam ad hęc sua tempora applicent. Cum tamen de illis nullo modo loquantur: sed tantum de Judæorum congregatiōne & reditu ex captivitate Babylonica. Id quod manifestissimū est ex Nehemias cap. i. Ubi Nehemias pro populo afflito, qui in Judæā reversus fuerat ex captivitate Babylonica, Deum orans, fundamenti loco hęc verba Deuteronomij ponit & inquit v. 8. Memento, quæso, berbi quod mandaisti Moysi serbo tuo, dicendo: Vos prævaricabimini, ego berò dispergam vos in populos. 9. Cum autem reversi fueritis ad me & custodieritis precepta mea, & feceritis: si fuerit expulsio vestra ad extremum cœli, illuc congregabo eos, & adducam eos ad locum, quem elegi, ut illic collucarem nomen meum. Allegat ergo Nehemias & interpretatur verba illa, de captivitate Babylonica. Quemadmodum etiam de illa, similem in modum loquitur Propheta Ezech. cap. 39. v. 25 & seqq.

CXVII. Imò ista verba omnia, Rabbi Salomo, de secundo templo interpretatur: Sic enim illa exponit: Germen nomen ejus: Innuitur Messias: Tollet gloriam, id est, tollet cornu: inter duos ipsos, id est, inter Judam & Israel. ET HÆC AEDIFICATIO TOTA DE DOMO SECUNDA LOQUITUR. Hęc R. Salomo. Per hoc igitur vaticinii, fatentur ipsimet Judæi sibi contradicentes, quod Messias tempore secundi templi venturus erat: At verò illud dudum præteriit, ergo etiam tempus adventus Messiae præteriit, & per consequens ipse dudum venit. Taceo, quod Verustiores Judæi negant, tertium templū Hierosolymis aedificandum esse, uti videre est in Bereſith

Berašith בְּרֵאשֶׁת id est, in expositione mīnōre libri Geneseos,^{37d}
quidem ex verbis R. נָבָן Abia: Quę allegata, lege apud Galat. d. l. c. 10.
CXIX. In nono argumēto impingunt Judæi partim in primū; par-
tim etiam in secundum fundamētū supra positum. Quandoquidem
rursus primum confundit templum terrestre cum cœlesti. De hoc lo-
quitur Propheta, hoc debet ædificari à Messia, nō illud. Sic quoq; se-
cundò loquitur de cœlesti Jerusalē, cuius ædificationē in hisce terris
incipere debebat Messias, absolvere autem & consummare in cœlo.
CXIX. In decimo argumēto, ut non negant Judæi allegatum dictū
Jerem. 23. cap. de Messia loqui, ita & nos id ambabus manibus largi-
mūr, ac libentissimè concedimus. Respondemus a. cum Galatino d. l.
cap. 11. ex hujus loci interpretatione, quę ab ipsis priscis Judæis datur,
qui ajunt, quod hoc in loco IUDA non significet populū Judaicum,
sed confessionem: nempe qnod omnes confitentes Messiam, per i-
psum salvari debeant.

CXX. Probatur illud ex Commentariis R. Moysis Hadarsan in librū Ge-
neseos, ubi inter alia hæc leguntur verba: Poteritne dici, quod redemptor
erit acceptator personarū? Absit; omnes enim confitentes eum ore suo & operibus
suis & corde suo, salvabit & liberabit, sicut scriptum est Ierem. 23. cap. In diebus ejus
salvabitur Iuda, ac si dicas, Confitentes eū. Integrū locū lege apud Galat. d. l.
CXXI. Ad undecimum argum. respōdemus, allegata vaticinia de Gog
& Magog loquentia, non literaliter, sed spiritualiter intelligenda esse.
Quod inde est manifestum, 1. Quia, ut demonstravimus, tertium tem-
plum nunqna ædificabitur. 2. Quia Judæi nūquam suam terram sunc
rursus possessori, neq; decem tribus sunt isthic reversuræ. Quod ipsi-
met Judæi diffiteri nequeunt, cùm in libro Sanhedrin in cap. Helet, isthæc
expressè legantur: Decem tribus non sunt futurae ad revertendum, id est, nun-
quam sunt reversuræ ad terram Israel. Piura vide apud Galat. cap. 12.

CXXII. In duodecimo argum. ludit infania Judæorū æquivocatione
in voce semen, quę non tantum de carnali posteritate est intelligenda;
sed etiam de discipulis & qui alicujus disciplinam & institutionē se-
stāntur. Semen ergo Christi sive Messiae, fuerunt Apostolicæ cæteriq;
ejus discipuli & omnes doctrinam Christianam amplectentes, Chri-
stumq; pro vero Messia agnoscentes. Vide Galat. d. l. c. 13.

CXXIII. In decimo tertio argumēto negamus majorem proposi-
tionem. Quandoquidem, ut haec tenus satis probatum est; ita quoq; in
vetusta traditione in Seder Olam, expressè dicitur; post secundam è terra
Canaan ejectionem, Iudeos tertia vice nequaquam in illam conversuros esse.

372.

CXXIV. Quomodo etiam Messias poterit Iudeos ducere in terram Canaan, cum non nasci possit, nisi in Bethlehem, quæ jam olim vastata & destruta est.

CXX. Liquet inde allegati loci Levitici sensum illum non esse, quem exponit Dominus Helvicus Appendice ultimâ Elenchorum Iudaeorum; ubi inquit: *Hæc est igitur vera loci sententia: Iudeos tempore Veteris Testamenti reducendos esse in terram suam, si pœnitentiam egerint. Tempore vero Novi Testamenti, quo abrogabitur externa illa sacrificiorum & politiæ Mosaicæ constitutio, si ex terrâ sua ob impœnitentiam & Evangelij contentum ejecti fuerint, tamen non abjectum iri, si per veram pœnitentiam se ad Deum converterint, sed à Deo receptum iri in gratiam ob fœdus suum quod cum ipsis pepigit. Quæ quidem receptio in gratiam intelligenda est pro natura & conditione Novi Testamenti, in quo nulla sacrificiorum & politiæ externæ in terra Canaan habetur ratio: id quod vel experientia annorum mille quingentorum quadraginta duorum annorum, Iudeos poterat & debebat edocere.*

CXXVI. Atque sic hactenus partim ex sacra Scriptura, partim ex ipsorum Judæorum traditionibus sufficienter probatum esse reor, tempus adventus Messiae dudum præterisse, Messiam revera ante sesquimille annos venisse, proindeq; frustra à Iudeis adhuc hodiè expectari,

F I N I S.

AD ORNATIS. Dn. CHRISTOPHORUM SCHOLTZ:
Optimi Parentis filium optimum, suum inter candidos
amicissimum.

P Erfrictæ frontis plebs ô Iudea, mania
Quæ te occæcatam fascinat? heu lachrymæ?
Messiam expectas? spes hem frustanea; venit.

Fecit & officij quod fuit omne sui.

Nec tantum dant hoc divinæ ritè probatum

Pandectæ, solis queis adhibenda fides,

Sed Rabinorum produnt hoc scripta tuorum,

Quos proprio miseros cædimus ense suo.

Quid? quod CHRISTOPHORE hæc tua dissertatio præsens

MARTINO graphicè PRÆSIDE monstrat idem.

Noctua quare oculos aperi Iudee. fideq;

Messiam acceptans aspice, salvus eris.

M. Balthasar Mencius, Nimeensis, Sax. Elect. Poëta

Cæsar. Ampl. Col. Phil. Adjunctus, ætatis 78.

1650

Aug VI 46(1)



Retro

V. 17





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White Black 3/Color

Inches
Centimetres

XI
ATIO VI.
341..
S I A,
a Iudæos, ex pro-
tis, Messiam dudum.
nisse.
ademia VVittebergensi
osita,
SIDERIVAC
xcellentissimo Viro
O MARTINI
re publico:
NDENTE HERRE
RO SCHOLTZ
AVIENSI,
is, Horis locog̃ consuetis.
EBERGÆ,
nicâ Johannis Gormanni,
M. DC. XV.

